UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinqve Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1631

Præstita in II. Tomo spiritualium opusculorum R. P. Ioannis Lanspergij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-47044

Visual Library

Præſtita in II. Tomo ſpiritualium opuſculorum P. Ioannis Lanſpergij.

1. IN Pharetra Diuini amoris lib. 2. part. 5. pag 132. carmina memorialia ſunt admodum parcè correcta ad Poëticam qualemcumque quantitatem, & ipſa verba emphatica ad marginem collocata. Eodem modo factum eſt pag. 148. &c.

2. In Theorijs pag. 175. Similiter factum eſt ad marginem, & pag. 281. in verſibus ipſis.

3. Poſt aureum Alphabetum i. poſt Domini Paßionem rectè ſubiungitur Compaßio B. V. Mariæ. pag. 352.

4. Tandem vltimum locū occupant Hymni, qui ſunt compoſiti ad animam in vitâ ſpirituali lætificandam.

5. Ordo rerum obſeruatus eſt iuxta rationis dictamen, atque experientiæ praxin. Cùm enim ſint duæ potentiæ in anima humana, quibus veluti pedibus pertingere conatur ad faſtigium perfectionis, Intellectus nempe & Affectus: in primo tomo ſpiritualium opuſculorum repoſita ſunt ea quæ ad Intellectum pertinent informandum, & pro ſecundo tomo reſeruata ſunt quæ ſpectant ad Affectum excitandum. In prima parte loquitur nobis DEVS, In ſecunda parte nos loquimur cum DEO. Porro Intellectus etſi variis modis illuſtretur, in hiſce tamen opuſculis tres potiſſimum modos licet obſeruare.

1. Dum loquitur nobis DEVS per Scriptorem veluti per inſtrumentum ſuum: vt in Apologia & Dialogo, in Epiſtolis paræneticis, in Enchiridio & ſpeculo perfectionis.

2. Cum DEVS ipſe introducitur loqui ad nos: vt in alloquiorum libris.

3. Cum homo philoſophatur ſeu loquitur ſecum. i. dum ſupremæ animæ portio alloquitur & inſtruit inferiorem portionem: vt in ſoliloquio videre licet.

Similiter Affectus varijs modis excitatur, inflammatur, fouetur; In hiſce autem Opuſculis tres occurrunt.

1. Per orationes deuotas, vt in Pharetra.

2. Per meditationes, vt in Theorijs, & Alphabeto aureo, ac Threnis.

3. Per cantum ſpiritualem, vt in hymnorum libro.

Quamuis vero in orationibus Affectus eleuetur, purificetur, & incaleſcat, & alios fructus gratiæ varios nanciſcatur: in Meditationibus tamen, quæ per modum orationis inſtituuntur, perfectius mentis pabulum deliteſcit. In hiſce etenim intellectus quoque nutritur, ſtabilitur ac quieſcit: qui alioquin vagus, mobilis eſt ac inquietus. Cæterum nullæ Meditationes ſunt faciliores, dulciores, fructuoſiores: quam illæ in quibus beneficia Redemptionis noſtræ ad memoriam reuocantur. Hæc equidem Summa Bonitas & Sapientia ad noſtram ſalutem ordinauit, & in hiſce theſauros ampliſſimos omnium gratiarum collocauit: ex quibus nos in viâ ſimul & patriâ diuites efficiamur.

Suſcipe igitur, beneuole Lector, ac peruolue diligenter hoſce libros, donec plura ex ciſtulis noſtris ad tuam conſolationem ac vtilitatem proferamus. Illud autem remunerationis loco à te obnixè precor, vt orationibus tuis mihi obtineas, quatenus Diuina Bonitas eam corporis animique bonam valetudinem & conſtitutionem largiri dignetur, quæ ad reſiduos La-

bor

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bores ſubeundos ſufficiens ſit & corroborata. Qua fretus beneque munitus accingam me alacriter ad ingentia opera P. N. Dionyſij Rickelij Ecſtatici Doctoris: quæ ſicuti in meliorem ordinem redegi, ita etiam tandem aliquando melioribus typis recudantur.

Vale & vive in Chriſto IESV, qui mihi per te benedicat. Amen.

Coloniæ ex mendra noſtra XVII. Auguſti, Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXXI.

F. GEORGIVS GARNEFELT *Carthuſianus.*

D. IOAN.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN